

QUÆSTIO MEDICA,

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS mane discutienda in Scholis Medicorum, die veneris septimâ Decembris.

M. ALEXANDRO-MICHAELE DENYAU, Doctore Medico, Lectore & Professore Regio veterano, Præside.

An opium Dysenteriæ saluberrimum?

I.



ERA dysenteria, difficultas intestinorum, definitur dejectio sanguinis cum dolorificis torminibus, cui ulcus succedit, vel in gracilibus, vel in crassis intestinis: quod discernitur sensu doloris & excrementis varie tinctis. Gracilia intestina dejectiones oculis objiciunt longe à dolore, tenuiora apparent ramenta, cum sanguine fœcibus exacte permista. Crassa intestina sanguinem supernatantem cum adipe & ramentis spissioribus exonerant, cum doloris proximitate & frequenti egerendi cupidine. Sex res non naturales hunc affectum progenerant: aër nimirum hominis (σωματοφύλαξ) stipator sæpe malignus, cibus & potus, ut panis rancidus, carnes putidæ, aqua stagni, vigiliæ immoderatæ, somnus inquietus, motus excessivus, durior equitatio

coctionem corrumpendo, ut & animi pathemata timor, tristitia, odium, edaces curæ, ira effrœnis, importuna fames, & sitis extrema, quæ omnes causæ exsiccant viscera nutritia, calida & humida, quæ conformia expostulant auxilia.

II.

INTEMPERIES calida sicca hepatis sanguinem atrabilarium corrodentem producit, qui continetur vel in venis vel in alvo: bilis quoque flava dysenteriæ causa est, sed levior & brevior; aliquando pituita salsa in intestinorum anfractibus ea exulcerat & longior efficitur morbus, ob materiæ contumaciam. Pus etiam intestina corrodit & acris sanguis. Frigus pedum intestina refrigerando, bilem intus coërcendo, dysentericum πάθος promovet. Signa & symptomata ὁμώνυμα, συνώνυμα. Venter rugit cum torminibus, meiendi difficultas, sitis cum anxietate, febricula cum vomitu & difficili somno periculum portendunt. Pituitâ à capite in ventrem vi frigoris comprimentis defluente, plus vel minus salsâ & acri, ulcera in intestinis leviora aut profundiora nascuntur: quam ulcerum conditionem medicus rite inspiciat, ad medicinam recte administrandam. Ulcere incipiente pinguia, continuante ramenta, penitius depascente propria intestinorum substantia putris & exesa procidit, unde mors, nox æterna. Translato humore vel διὰ μετάστασιν, vel διὰ μετάπτωσιν τῆς ἐπιστροφῆς metus impendet κατὰ παλινδρομίαν per refluxum humoris à parte nobili in ignobilem; sive ab ignobili in nobilem, unde abcessus oriuntur.

III.

SI spectemus qualitates opii, operæ pretium est summâ prudentiâ illud exhibere. Quemadmodum vinum generosum immoderatâ quantitate cerebrum inebriando, somnum conciliat, sic opium plus justô sumptum nervos consopit. Omnia medicamenta, dosi violentâ, in venenorum classe numerantur. Ebrietas opium imitatur, estque interregnum rationis & insania voluntaria, quæ citam mortem affert parasitis, qui habent memoriam in ventre. Ut opio excessivê atque intempestivê exhibito, præcaveatur, tribus horis à sumpto illo excitetur æger à somno, jusculum pingue propinetur quo ejus vis præpediatur atque ligetur: attamen in catharticis

& cardiacis feliciter adhibetur. Quemadmodum feroces equi blandis poppyſmis debent demulceri, ſic atroces affectus dulcibus, anodynis & oleaginoſis ſunt mitigandi. Ventriculus chyloſeos officina, Jecur bilis ſecretioni præſertim dicatum, cor ſol microcoſmi, liberaliſſimus ſanguinis miniſter & munificentiſſimus ſpirituum vitalium diſpenſator, cerebrum intelligentiæ, ſensûs & motus divina metropolis, balſamicâ opii bonitate conſervantur.

IV.

SÆPE numero ægrotantes, propriam hepatis ſubſtantiam aduſtam excernunt, unde αἱματώσεως privatio, corporis maraſmus, extremorum refrigerium, συγκοπὴ, dejectiones ab atrâ bile lethales. In ſanabili vero dyſenteriâ tam potens eſt humidum radicale opii, ut partes placidâ quiete reſtauret & blando vapore nervoſum genus repleat, unde ſomnus obrepit, à quo ex Galeno coctiones omnes non parum adjuvantur, corporis tranſpiratio promovetur, calorque nativus fovetur, atque ξύμπνοια μία, ξυμπαθέα πάντα, ξύῤῥοια μία, conſpiratio una, conſentientia omnia, confluxus unus. Sic ſalus humana feliciter progreditur ad Neſtoreos annos admirabili opio vincendos & ad nos à miſerando lethi genere ſolvendos. Heroum ſanantium præſidium ab iis propriâ manu infirmis exhibitum fuit, ne ſceleſtiſſimorum virorum conſciâ conſcientiâ, multum fraudis ſuperveniat.

V.

AB Indis ad nos advehitur opium, purius à Turcis reſervatur, impurum (quod meconium vocamus) nobis venundatur, quod aceto ſtillatitio præparatur, ad emendendam (ut aiunt) malignitatem, quin imo eam adaugent, partes quaſdam à quibus aliæ contemperantur, ſeparando. Semper illud exhibui abſque præparatione feliciſſimo cum ſucceſſu. Sarmatæ, Scythæ, Græci, Arabes ab opio non offenduntur: capita papaverum his in terris ob ſolis perpendicularem aſpectum ſuaviſſima guſtui, odore ſuaviſſimo fragantia comeduntur, eâ ratione ab iis populis impunè devoratur opium. Ab orthodoxo medico præſcriptum, tanquam naturæ balſamum, præſtantiſſimum dyſentericis Alexipharmacum laudatur. Inte-

rim vires ægrotantis morbi diuturnitate frangerentur, nisi euchymis alimentis, ut ovis tremulis, crassis, longis, recentibus, testâ albis refocillarentur, non omissis succis carnium sive elixarum, sive tostarum, ut caponum, perdicum, phasianorum, pavonum & vervecum. Sed cum dolor, qui motus est asper & inæqualis à sensibus alienus, asperrimus in dysenteriâ torqueat, sedandus est, quod opium ad granum unum horâ somni exhibitum, tormento intestinorum cruciatis, tutò, citò, & jucunde præstabit.

Ergo opium Dysenteriæ saluberrimum.

Domini Doctores disputaturi.

M. Jacobus Simon Gilles de la Riviere.

M. Ludovicus Lemery, Scholarum Professor, è Regiâ scientiarum Academiâ.

M. Petrus le Tonnellier.

M. Jacobus Minot, Serenissimi Ducis Borbonii Medicus ordinarius.

M. Joannes Gaillard.

M. Matthæus Dionysius Fournier.

M. Henricus Mahieu, Reginæ Dotariæ Polonorum primarius Medicus.

M. Claudius Guerin.

M. Ludovicus Morin, Regiæ scientiarum Academiæ socius.

Proponebat Parisiis PHILIPPUS FONTAINE, Bellovacensis, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1703.

Apud Viduam Francisci Muguet, Regis & Facultatis Medicinæ Typog.